

Q.K. 392, 14.

X 1803372

II n
4533

De
Originibus
HABSPURGICO-
AUSTRIACIS,
ET
HOHENZOL-
LERANO-BRAN-
DENBURGICIS,

Disserent in Publico

PRÆSES

GEORGIUS CASPAR
KIRCHMAJERUS,

Prof. Publ.

& RESPONDENS

GEOR.G. CHRISTOPH. MELCHIOR
de ZUANNA, Nob. Sempron.

Ad d. Junij hor. Lq. solit.

VVittebergæ.



Literis JOHANNIS WILCKIL

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAALE)

90.



Originalibus

HABSPURGICO

AUSTRIACIS

ET

HOHENZOLLERNIS

HEREDITARIIS

DEMBURGIS

Discreti in Publico

PRÆSES

GEORGII CASPAR

KIRCHMÄJERS

Prof. Publ.

RESPONDENS

GEORG. CHRISTOPH. MELCHIOR

DE JURE, Not. Sempitern.

et al. Jur. et C. J. J.

Vindobonæ

in officio Typographico

LICENS. JOHANNIS WILGELM

Typogr.

in officio

Typogr.

in officio

10





B. C. D.
CAPUT I.

de Necesitudine ac Origine HABSPURGICO-AUSTRIAC. ET HOHENZOLLERANO - BRANDENBURGIC.

Communi ex influxu Fœminino.

Elenchus contentorum.

1. Arctissima necesitudo Domûs Augustissimæ Austriacæ Serenissimæq; Brandenburgicæ representatur dictis & exemplis.
2. Antiquitas necesitudinis ab aliquot hinc seculis asseritur.
3. Probatum eadem per diplomata & monumenta. Adjicitur α'ξιόμυνησ'ό'υτο'υ de Cœnob. Heilsbronn.
4. Negativa comprobatur, quasi tempore Rudolphi I. Imper. dignitas Burggraviatûs Norici illata primùm fuerit in Domum Brandenburgicam.
5. Munus Burggravorum veterum in quo constiterit, exponitur. Splendor & Cæsareus favor in Burggravios Norimberg. memoratur.
6. Cur Carol. IV. Imper. Burggravios dotarit Auri Argentiq; mineris? & ubi? de *Pinifero* digna creditu & indagatu afferuntur.
7. Hohenzollerani Comites cum Habsburgicis, & Ducibus Merania, Altorfensibus præterea, Kyburgiis & Oettingensibus Comitibus ante plura secula jam conjunctissimi fuerunt. Singularia nonnulla de Merania & Zolleranis.

§. I.

Domum antiquissimam utramq; hanc jam ante IV. hæc secula, ab influxu fœminini sanguinis, junxere Deus, Natura,
A ra, ca-


ra, casus admirandi, animorum vis arcana. Seqvamus rimaturi du-
 ctum, ortum, nexum. Est videlicet, cur amore prosequatur singulari
 Serenissimos **MARCHIONES BRANDENBURGICOS** Augustus
IMPERATOR LEOPOLDUS. Est, cur ardentem colant **BRANDEN-**
BURGICI AUSTRIACOS. Exceptione majus omni merito habend-
 um **FERDINANDI I.** Augustissimi elogium, quo in literis sanctio-
 re serinio reconditis, die XIX. Martii Anno clo 15 LIV. ad **JO-**
ACHIMUM II. Electorem Brandenburgicum per scriptis testabatur:
 „memori altâq; mente apud se repostam Domus utriusq; **AUSTRIO-**
 „**RUM** ac **BRANDENBURGENSIUM** longè antiquissimam neces-
 situdinem. Quinto etenim, ne nesciamus publica, hodieq; gradu **CÆ-**
SAREM Trajano meliorem **LEOPOLDUM** à latere Cognatus tan-
 git **CHRISTIANUS ERNESTUS**, Marchio Brandenb. & Borussiae
DUX Serenissimus. Res ita habet, si de genesi quærat:

FERDINANDUS I. IMPERATOR.

| | | |
|--|---|---|
| Maximilianus II Imper. I Carolus Archidux Austriae I | I Johanna Francisci, Magn. Hetr. Duc. Conj. I Maria, Henrici IV. Gall. Reg. Conj. I | Maria Wilhelmi Duc. Juliac. Conj. I Maria Eleonora, Albert. Frid. March. Brandenb. Conj. I |
| Ferdinandus II. Constantia Si- Imperator. gism. Polon. Reg. Conj. I | I Ludovicus XIII. Rex Gall. I | I Maria, Ca- Maria, Christiani, Mar- roli Britan. chion. Brandenb. Conj. Reg. Conj. I |
| Ferdinandus III. Johannes Ca- Imperator simirus Pol. Rex. I | I Ludovico XIV. Rex Gall. I | I Carolus II. Britann. Rex. I Erdmannus Augustus. Christianus Ernestus, March. Brandenb. I |
| LEOPOLDUS Imperator. Maria Anna, Philipp. IV. Hisp. Reg. Conj. I | I | |
| Carolus II. Hispan. Rex | Margarita Imperatrix, | Teresa Maria, Regin. Franciae, |

Vides

Vides Lector, quarto simul consanguinitatis gradu affici ab ultimo laudato Principe Reges Invictissimos, Magnæ Britannia CAROLUM II. Galliarum LUDOVICUM XIV. & Poloniae quondam Regem, JOH. CASIMIRUM: sexto autem Hispaniarum Indiarumq; Monarcham, CAROLUM II. Longissimum enumeratu foret percensere Electorū, Ducū, maximè Saxoniorū, Juliac Brunsvicensium ac Lüneburgensium, Palatinorū Rheni, Holsat. Würtemberg. Hassiæ Landgraviorum & Anhaltinorum Principum arctissima consanguinitatis jura. Illud saltem adduxisse satis sit, quòd secundo agnationis gradu invicem sint copulati Maximi Heroes, CHRISTIANUS ERNESTUS & JOHANNES FRIDERICUS, antiquissimā profapiā, sapientiæ studiis, peregrinandi gloriā, ætate floridā, incomparabili virtute ac familiaritate, Dii literarum ac literatorum tutelares. Communis utriusq; hæc origo; JOH. GEORGIUS Elector Brandenburg. à quo ceteri Electores Potentissimi ex Marchionibus descendunt;



§. II. Sed hæc manifesta & plurimorum sensibus exposita, sufficiat hinc tetigisse breviter. De Imperatore SIGISMUNDO Septemviratu Brandenburgico inaugurante FRIDERICUM VI. An. 14:7. & Archiducis ALBERTI V. auspiciis propter Hungariae Bohemiaeq; dotem thalamis si scribere ingrederemur, spaciis prolixis esset opus. Id igitur agamus nunc, ut ostendatur, ante secula complura jactum sanguinis amicitiaeq; sanctoris fundamentum inter & *Habsburgios* & *Brandenburgicos* fuisse. Annus supra millesimum ducentessimus septuagesimusq; tertius post natum Christū agebatur, quo, cum RUDOLPHO I. Habsburgensi Comiti Comes *Zollerang*, Cæsareæ electionis præco pariter & sponsor in conciliandis Filiab9 Augustissimis inopinanti nuntiū primus attulisset, retulisse vulgò dicitur pro benè meritis Burggraviatum Noricum

Dixi Annum septuagesimum tertium in commune allegari. Nec movet me vel Citizenſis Chronici auctoritas, vel *Huldarici Mutii* diſſenſus. Ac *Pauli* quidem *Langii* annales fruſtrà memorant: eodem Anno (1289. videlicet, de quo immediatè actum antea,) vel circa, *Rudolphus Rex*, vacante *Burggraviatu Norimbergensi*, eundem *Comiti de Zollerem* contulit, SORORIO suo; à quo descenderunt *Burggravius* usq; ad *Fridericum*, qui in *Concilio Constantiensi* factus est *Marchio Brandenburgensis* per *Sigismundum Imperatorem*. Minusque accuratè *Mutius* ad Ann. 1282. retulit in *Chronic. rer. l. 21.* factum hoc. Hoc tempore, inquit, *Burggravius Norimburgensis* moritur, nullo heredè legitimo relicto. Quare jus substituendi alium ad *Imperatorem* rediit. *Burggraviatum* igitur *Sororis* suæ *Marito*, *Comiti de Zollern* contulit. Ab illo *Comite* legitimi heredes manarunt usq; ad *Burggravium Fridericum*, qui in *Concilio Constantiensi* *Marchio Brandenburgensis* est factus à *Cesare SIGISMUNDO*; nec alius *Burggravius* postea substitutus est. Electionem *Rudolphi* equidem in Annum incidisse septuagesimum ac tertium illius seculi, primumq; in afferendis bonis novis nuncium fuisse *Zolleranum Comitem*, *Imperatoris* *Consobrinum*, certo certius videtur nobis, ex *Albert. Argentinensi*, *Aventin* Lib. 7. *Hist. Boj. Felicis Fabri* *Hist. Sæv.* l. 1. c. 13. *Carion. Lib. 5.* *Chron. ex Blondelli præfat. Apologet. contra Cbifflet. tit. de Stemmata Austriac.* p. 349. Sed quòd eodem ipso demum Anno dignitas *Burggraviatus* primum fuerit illata in hanc domum inclytam ab *Habsburgensibus*, id verò pernegamus. Apertissimè *Limneus* Lib. 5. *Jur. P. c. 7. n. 3. Eitel-friderico*, ait, uxorem assignant *Agnerem* (circa proprium ab eo dissentimus nomen) *Rudolphi primi Habsburgici Sororem*, & ex eadem liberos, *Fridericum V. Eitelfridericum* atq; *Bertholdum. Friderico*, quem *Vum* diximus, à *Rudolpho Habsburgico Imperatore Sororio*, Anno *Chr. 1273. Burggraviatum Noribergensem*, tunc temporis vacantem datum, communiter ajunt. Quod si de prima collatione acceperint, ut accepisse plerosq; hæcenus vidi, quàm propitiam sint habituri sibi *veritatem*, ipsi viderint. Aliorum ex communicatione classica hoc ego habeo, diplomata *Imperatoria*, quæ *Blessenburghi* in *Archivo Brandenburgico* asservantur, firmare, longè ante *Fridericum*, familia huic *Zollerane Burggraviatum* fuisse *Noricum*. Unde verius

erit

erit dicere, Rudolphum, Burggraviatum Friderico potius confirmasse
quàm primum concessisse.

§. III. Rectè inquam, Dn. *Limnaus* hæc; sed longè rectius
fuisset asserturus, si, quod obtinere potuisset in vicinia, & tantò, quò
fulgebat muneris splendore, ex Archivo Blaffenburgico Diplomata
ista, vel per sensum atq; partes saltem, retulisset, nec mutasset
mentem. Testes sunt posteriores ejus cogitationes in *Addit. ad l.*
5. c. 7. p. 744. Dixi, loco supra allegato, me ab aliis audivisse, Blaffen-
burgi, in Archivo Diplomata extare, quibus probetur, familiam Zolle-
rianam ante 1273. Annum Burggraviatum obtinuisse. Verum cum ea
hactenus non viderim, de eorum fide certa scribere non valeo. Novi
quidem Lebmannum in Chronico Spirensi. l. 5. c. 77. p. 580. mentio-
nem facere Cunradi Comitis Zollerensis & Burggravi Norimbergen-
sis, qui vixerit An. 1214. Sed communis opinio primam collationem
ad dict. Ann. 1273. refert & c. Dabimus non unum, fide, ut speramus,
dignum documentum, quod conquisivimus, ipsiq; partim observa-
vimus, cum in Aula Brandenburgicâ, Electorali etiam (interventu
Nobilissimi Archiatri Dn. D. Menzelii) de obtinendo istiusmodi
laboraremus. Ann. 1219. Fridericus II. Imperator Privilegium No-
ribergæ dederat, in quo CONRADUS Zolleranus Comes Burggra-
vius salutabatur Noricus. In Diplomate Cœnobii Schlüsselrieden-
sis Anno 1222. Conradus Comes de Zollern, Burggravius in Nürnberg
audiebat. Chronici Hirsaugiensis autor testis quoq; est, Conradum
Zolleranum Comitem, Burggravium Norimbergensem præsentem Im-
peratore Ottone IV. arcem Rietbergensem in Badensi Marchionatu
sitam Episcopo Cunrado reddidisse, Anno 1210. Nec dum excidit
memoriâ, Heilsbronne in illustri Serenissimorum Principum
Gymnasio nuper atq; olim observatum monumentum: Anno
M. CC. XVIII. obiit Fridericus, Burggravius de
Nürnberg, Senior. Id saltem diligenter attendendum, ne
cognomines Conradi atq; Friderici, sed diversi, confundantur. De
Conrado I. & II. diximus, de altero hoc etiam monendum est,
Anno 1234. hunc in Comitibus Altenburgensibus, propter privile-
gium à Cæsare concessum Monasterio Mildensfurtensi, testem ad-
vocatum hæc subscriptione, Burggrav. Norimberg. In

privilegio antiquissimo Cœnobii Heilsbronnensis hæc habentur:
In nomine Domini, Amen. Conradus (nempe III.) & Fridericus (II.)
Dei gratiâ Burggravi in Nürnberg, ad noticiam tam
 modernorum, quàm futurorum, per præsens scriptum cupimus
 pervenire, & quæ seqq. A. M. CC. XLVI. De Conrado isto II.
 solerter, uti plura, observavit Dn. *Georgius Christoph. Renschelius*,
 Consiliar Brandenb. peculiari de BRANDENBURGICIS HERO-
 IBUS diatribâ, Imperatoris (sed non *Henrici*, ut ibidem memorat,
 IIdi, imò ne quidem VI.) præcipuū Aulæ Magistrum, à Consiliis san-
 ctissimis & Præfectu fuisse Aulicum togâ eminentem & sago. *Friderici*
 etiam *Burggravi Norimbergensis* mentio fit in Diplomate *Cun-*
radi Regis Hierosolymitani & Siciliae Sveviæq; Domini A. 1266.
 ap. Dn. *Betulum* l. 2. Specul. honor. Austr. c. 4. p. 190. ibidem quoq;
Fridericus Comes alius de *Zolleren* adducitur. Quæ dum explico,
 non possum non adjicere in gratiam Heilsbronnæ inclytæ, quod
 ap. *Gabrielem Bucelinum*, incomparabilem post *David. Blondellum*
 nostri temporis Genealogicum Scriptorem, in Germania sacra
 “ annotavi: *Heilsbronna sub regula S. Benedicti & constitutionibus*
 “ *Cisterciensium A. 1132 ab Ottone Andecensi (Merania Duce)*
 “ *Bambergenfi Episcopo, & Rapathone atq; Conrado Abenspergi*
 “ *Comitib; Cœnob. fundatum est, eorumq; ab uxoribus, Mechtilde &*
 “ *Sophia splendide locupletatum. Abbas primus Rapatho Comes*
 “ *Abenspergensis Conradi Fundatoris Frater fuit.*

§. IV. Manifestissimum est igitur, non demum à *Rudolpho*
 I. gloriosissimo Imperatore Burggraviatûs Norici hanc eminentiam
 collatam, sed confirmatam in perpetuum, ac ampliori titulo
 concessam, imò extensam potius fuisse. Producenda eam in rem
 Tabula Cæsarea Anno 1281. pridie Non. Septembris *Gemundia* pu-
 blicata testibus *Eberhardo de Cazenelenbogen, Henrico de Fürsten-*
berg, Alberto & Bernbardo de Honberg, Comitibus, Ulrico de Elin-
gen, Gottfrido de Bruneck, Christoph. & Gottfrido de Hobenloch,
 Nobilibus: **RUDOLPHUS Romanorum Rex, Semper-Augustus,**
omnibus in perpetuum. Ad universorum tam presentium, quàm
futurorum noticiam pervenire volumus, quòd Nos attendentes fidem
puram, devotionemq; sinceram, quàm Nobilis Vir, FRIDERICUS
Burggravius de Nürnberg, CONSANGVINEUS noster, & fidelis
dilectus

dilectus, erga Nos & Romanum gerit Imperium, considerantes, quod gratia, fidelia, & laboriosa, quae saepe nobis & ipsi Imperio fructuose impendit obsequia, ipsi Friderico Comiti Burggraviae in Nürnberg, castrum quod tenet ibidem, custodiam porta, juxta dictum castrum sita, judicium Provinciale in Nürnberg, cui etiam Vice Imperatoris existens, omne judicium judicans exercebit. Et post alia hinc brevitatis studio omissa; insuper officium foresti; villam Werde, villam Buch, oppidum Suvant, castrum Creussen; item decem libras denariorum, redditus de officio Sculteti in Nürnberg, & decem libras de telonio ibidem cum aliis feudis, quae praedictus Burggravius & SUI PROGENITORES ab inclita recordationis Imperatoribus & Regibus, NOSTRIS PRÆDECESSORIBUS, feudali titulo tenuerunt & habuerunt, de consensu nostrorum Principum, Aquisgrani omnia supra dicta, sub certo nostro sigillo sibi concessimus, sic & nunc ipsi ea concedimus in feodum, & MARIAE suae FILIAE, uxori nobilis Viri Comitis de Ottingen, ac CÆTERIS ejusdem Burggravii FILIABUS. Si tamen ipsam Mariam liberos cujuscumque sexus habere, & dictum Burggraviium sine herede masculino contingat decedere, ipsa Maria, exclusis ceteris suis sororibus, cum suis liberis, feudis in eisdem succedat. &c. Ad hunc modum verba Carionis etiam interpretor Chronico. lib. 5. Fridericus Comes in Zollern obtinuit à Rudolpho munus & dignitatem Burggraviorum Noribergensium, & ut haec deinceps jure hereditario (fuit ergo antea beneficium Imperatoris nec hereditarium) transfret in posterum, impetravit.

§. V. Meretur argumenti gravitas, ut, quae immediatè locum hunc sequuntur, & officium Burggraviorum veterum exponunt, afferamus hinc: Munus Burggraviorum erat, ut essent seu CUSTODES PACIS PUBLICAE; (2) constituerent & gubernarent JUDICIA PUBLICA; (3) OMNEM UNIVERSIM exercerent POTESTATEM POLITICAM loco IMPERATORIS & eorundem autoritate in certis ac destinatis terris & regionibus; (4) Quae attributa erant ECCLESIAE & EPISCOPIS concessione & beneficio IMPERATORUM, Episcopi enim, quibus sola rerum sacrarum

admi-

administratio incumberebat, quae verbo peragitur,
et his commendata est divinitus, aut occupari sollicitudine curanda-
rum et conficiendarum opum, aut versari et conspici in foro, aut
JUS GLADII *usurpare NEFAS ERAT. Sive igitur splendorem,*
sive vim ac potestatem, sive etiam emolumenta veterum Burggra-
viorum aestimemus, amplitudo longè maxima ubilibet occurrit.
A *Carolo IV. etenim in Diplomate Anno 1362. D XVI. Kalend. A-*
prilis Noribergae factò, Illustribus Principibus dicuntur ab antiquo
tempore parificati. Salutantur membrum Nobile Imperii, quod non
officii nudum nomen gerat, sed territorii significatum atq; criminali-
um cognitionem simul inferat. Vid. maximè Gylmannus Tom. 1.
Symphorem part. 3. p. 94. seqq. Cumulati quoq; beneficio metalli-
carum fodinarum, solis alioquin Electoribus per A. B. tùm
concesso. Ita quippe Carolus IV. inter cætera indulta privilegia,
ipsis, inquit, heredibus et successoribus eorum (Burggravior.) in per-
petuum, de speciali gratiâ ac de certa nostrâ scientiâ concessimus,
contulimus, concedimus et conferimus in verum ac perpetuum seu dum
omnes Auri, Argenti, Cupri, Ferri, Plumbi, Stan-
ni, ac omnium minerarum montana et fodinas,
quae in ipsorum terris et dominiis (ubi verò, nisi circa Piniferum?) in-
venta sunt hætenus, seu reperta fuerint in futurum, cum omnibus
juribus et utilitatibus in perpetuum feudum et c.

S. VI. Non est, ut contemptu vindicemus, aut miremur
saltem liberalitatem *Caroli Imperatoris, cur Auri Argentiq; &*
metallorum mineraliumq; venas plures de Augustâ Domo meri-
tissimis Burggraviis indulserit favore singulari in ipsorum terris et
dominiis. PINIFERUM laudavimus; nec poenitet laudasse, si rime-
mur ac inveniamus causas. Ante tria secula & amplius in cele-
britate hominum metallicorum, propter mineralia vigeat regio
Piniferi tantoperè, ut inter Suderes montes, antequàm vel Anna-
berga, vel Schneeberga, vel Marieberga, vel Vallis Jacobimica fodi-
narum opulentiorum nomine innotuisset, facile mereretur primas.
Fribergam Misnia Bohemiaq; loca plurima, propter antiquissimos
uberrimosq; olim redditus excipimus. Radiabat suâ luce tunc tot
flumina metallorumq; caput Pinifer; connectus à majori luce
mons

mons temporibus secutis. Hinc dilapsi ad vicina & opimiora loca operarii compendiosioribus intenti quæstibus. Certior & antiquior Hercyniæ sylvæ fama per *Bobemiam, Misniam, Variscos, Thuringiam, Saxoniam* & Ducatum *Lünaburgensem* est, quàm ut confirmari hîc à nobis debeat. Tot nobilitata à Metallis pretiosis *Bojohæmi* loca, oppidaq; multa publicè loquuntur. De *Pinifero* testabuntur, præter rationes in Archivis Brandenburgicis, & perceptos olim inde redditus, Scriptores fide digni, *Caspar Bruschius*, peculiari hic libello A. 1542. vulgato, *Münsterus, Zacharias Theobaldus junior*, & primo ferè nominandus loco propter fidem & scientiam metallicarum rerum meritissimus *Albinus* noster cap. X. Chron. mont. Misn. f. 86. & seqq. Nec abs re cecinit *Johannes Ludovicus Betulius Egranus*, qui ante annos sexaginta sex florebat literis hîc *Wittebergæ*:

Arx Varischorum celso contermina Cælo

Pinifer, undarum ingentum pater inclyte, Mæni

Piscosq; Egræ, Nabi, Salaq; potentis;

Seu fundenda tibi rimantibus arte Metalla

Auri grande decus, quantum non Tmolius audeat

Largiri, tanto argenti ferrig; superbis

Quanto non Chalybes populi & Gangetica tellus,

¶ *Quod VENETUS caller, factus tibi sapius hospes.*

Quæ dum memoro, non possum non inter *ἄξιον ἢ ὄντων* referre, quatuor in universas mundi plagas surgentia ex *Pinifero* uno Flumina. Simile in Historiis vix ac ne vix reperias exemplum. Primus Germanorum Vates, qui ab ipsius *Friderici IV* Imperatoris manibus donari laura meruit, *Conradus Celtes* ita exprimit;

Herciniumq; jugum medio Germania tractu

Erigit & multis dissipat cornua terris:

Ex quibus ingenti dorso stans Pinifer atrum

Tollit in astra caput, liquidog; à vertice stillans,

Quattuor ad mundi fundit vaga flumina partes:

Moenus in Occiduum festinat currere Rhenum

Et Sala, quæ Drusi gestat præclara tropæa

Argentes petit Alpibus aquas. Nabus exit in Austrum;

Egra sed Eoos flectit sua cornua in Ortus

Et secum Herciniam trahit alto vertice sylvam.

B

Ant:

Antiquissima omnium *Goslarie* in Saxon. Inferiori, *Misnia* ac *Hermundurorum* à metallis gloria & felicitas in alterum mundi Hemisphæriū transgressa excitavit Hispalensem nobilem *Alvarum Alphonsum Barba*, in Peruviano apud Americanos Indos Regno metallicum Scriptorem nuperum, ex Hispanico idiomate in Anglicanā Linguam à Perillustri *Eduardo Comite de Sandwich*, ex hâc ulterius in vernaculam nostram versum, ut non uno admiratus illam loco fuerit. De Thuringiâ exemplum recentissimū suppeditat *Salfeldia*, & in vicinis Græfenthalio montanis cupri ferriq; mineras detegere scrutinium laborat. De Saxonie superioris latere *Islebia*, de inferiori affatim testantur loca celeberrima ap. *Cberusc. Clausthalium, Cellerfelda*, ne confecter plura Utrum audiendus ideò sit *Tacitus*, quantumvis excusandus propterrationem additam, de Germanorum moribus libello cap. edit. nostr. 5. *Argentum*, inqviens, & *aurum propitii an irati Dii negaverint Germanis, dubito. Nec tamen affirmaverim nullam Germania venam argentum aurumve gignere: Quis enim scrutatus est?* Ante Tempora *Otonis I.* usquàm videlicet apertæ memorantur venæ. Prima inventarum mentio fit ap. *Otonem Frising. l. 6. c. 24. Dithmar. Merseb. 2. atq; Sigebert. Gemlac. Conf. & Albin.*

§. VII. Sed quò digredimur metallorum commendando studio abrepti, ex occasione *Carolini* privilegii Burggraviis tribuiti? Redeamus igitur è diverticulo in viam & confiteamur inter *Habsburgenses* pariter ac *Zolleranos* Comites interq; Cæsares & Marchiones *Brandeburgicos* complures, per tot secula, necessitudinem antiquissimam intercesisse. Longum præterea enumeratum foret, si in multa retrò secula ituri, ad *Meraniorum* Ducum, *Altorfensium, Kyburgiorum, Oettingensium* Comitum vetustissimas immistasq; *Hohenzolleranis* Origines excurreremus. Longius, si, quod verissimum haberi debet, ex principe *Guelphorum*, id est, plurimorum Cæsarum, Ducum, Principum Prosapiâ deduceremus *Zolleranos*. Præstitit ex parte illud *Bucelinus* in *Historia Agilolphingica* præ cæteris. Longissimus futurus deniq; & intricatissimus excursus esset, si cum *Davide Blondello* in *Genealog. Francie.* assertion. plenior, ad *Caroli M.* planè tempora reverteremur, & ab

& ab Erchinoaldina familia derivaremus ultimos, quos memorarunt literis, progenitores celebres; à quibus ortum dicitur traxisse Augustissimò *Rudolphus I.* cum Sorore. Dabimus tamen, ut res patefiat, operam, quò constet propiùs, & velut ἐν συνόψει, quid de hoc habendum argumento sit. Suevis imperantibus *Bertholdus Dux Meraniae* claruit conjugio cum *Agnete Ducissa* (sunt qui Comitissam malunt) *Lausnicensi* A. 1204. teste *Chronic. August.* Ex eâ sustulit *Eccebertum*, Episcopum *Bambergensis* & Vicarium *Friderici II.* Imperatoris in partibus *Austriae*, circa Ann. 1230. Et *Bertholdum* Patriarche *Aquilejensis Wolckeri* successorem ex Archiepiscopo *Coloniensi*, tabulis publicis & indiculis Archiepiscoporum id redarguentibus; *Gertrudem* porrò, *Hungariae* Reginam, ex *Andrea* Rege matrem *Elisabethae*, quam Landgravio *Thuringiae & Hassiae Ludovico* nuptam, sanctam aliàs cognominant; ac *Ottonem*, Ducem ultimum *Meraniae*; cujus unica filia *Elisabetha* *Friderico* Burggravio *Noribergensi* oppida *Voitlandiae Culmbacum* atq; *Bojorum*, sed & *Carlesburgum* pro dote attulit A. 1274. Dux hic *Meraniae* (quæ Alemannis *Meran*, unde *Mehrenland* in Latinum *Moravia* corrupta sonum) amplissimos in *Norico*, *Bavaria* & *Franconia* possessiones habuit ad *Alpes* usq; *Tyrolenses*; nec in eo fuit olim tractu, qui postea *ADVOCATORUM TERRA* dicebatur, sed uxorio jure, propter Conjugem de *Amerthal* Comitissam, loca ista aliquot acceperat. Vid. *Thom. Reines.* 2. Var. Lect. 16. Representabimus rem velut in tabella:

Rudolphus II. Comes à *Zollern* floruit A. 1153. Uxorem habuit *Agnetem* Baron. *Gundelfinganam*. Ab ipso genitus *Fridericus VI.* Comes *Zolleranus*, cujus Ux. Comitiss. *Bipontina*.

Eitelfridericus I. Comes *Zolleranus*, Burggrav. ille scilicet, qui Sororem *Rudolphi I.* Cæsaris *Clementiam* duxit Conjugem; quam præter rem *Agnetem* nominavit venerabilis *Limneus*, secutus fidem *Angeli* in *Annal. Marchic.* & planè *Martham* in oper. *Gen. part. 3. Gabr. Bucelinus.*

Eitel - Fridericus II. Burggrav. Nov. Uxorem habuit *Elisabetham*, quam antè diximus *Meraniae* Ducis filiam

Aliam. Hunc primum statuit Burggravium, sed absq; fundamento, Mutius, notatus ideò à nobis supra, & secutus fortè Mutium Reineccius in Origg. Brandenburgicis. Nunc aliò nos institutum vocat.

CAPUT II.

de Originibus Habsburg. Spec.

Elenchus contentorum.

1. Satisné commodè ab Italis Germanorum Illustrissimæ profapiæ deriventur? Sententia Dn. Lambecii & aliorum. Judicium de his distinctum. Francorum gloria & celebritas antiqua.
2. Aeneæ Sylvii, Pontificis Pii II. testimonium de Germanorum amplitudine ac fortitudine. Odescalcorum & plurimarum in Italia familiarum ex Germania origines.
3. Italia non potuit illustrium profapiarū semper esse alitrix, propter barbaros & tyrannos vastatores. Singularia quædam de Scriptoribus & familiis nobilioribus Italicis.
4. Laudatur Cæsarinus Fürstenerig pro eminentia Germanicorum Principum præ Italis pronuncians. Gabrielis Bucelini judicium de admiratoribus Originum Italicarum, contra eos, qui Anicios & Perleones malunt.
5. Tabula genealogica Habsburgico-Austriacorum, & Capetingicor. Galliarum Regum, ab Eticone ultra mille annos sistitur. Bucelini testimonium. Stemma à Blondello & Chiffletio adornatum. Quantum fidei labor utriusq; mereatur?
6. Notatur Chiffletius; laudatur Gvillimannus; Stabius & Gebuillerus vapulant; Blondello aliisque opponuntur pro Perleonia Aniciorum gente ac origine primum Autores varii.
7. Deinde loca atq; monumenta memorabilia, ad Aniciorum gloriam ac vetustatem referenda.
8. Testimonia in primis Krigii, Tigurini Nobilis, Alberti etiam Argentinensis, Gundelfingii & Seifridi Zwethalensis.
9. Ratio-

9 Rationes afferuntur à judi-
ciis testium, exceptione omni-
majorum, aliquot Imperato-
rum nempe, & Invictissimi
ipsius LEOPOLDI.

10. Elenchus de rebus Austria-

cis Scriptorum. Dux princi-
pes sententia de Originibus
Habsburgicis conciliantur
invicem. Ex Trudtpertinis
monumentis tabula hoc
claudit argumentum.

§. I.

PRIUSQVAM ad rem accedamus ipsam, ferendum præjudicium
de quæstione illâ est: *Satisne videatur commodum, ut Germa-
norum antiquissime ac Illustrissime prosapie ab exteris, Italia in pri-
mis gentibus Nobilibusq; deducantur? Habsburgios nimirum atque
Hobenzolleranos Comites ab Italis originem traxisse, ut gravissimi
asseruerunt olim Viri, sic novissimè id affirmavit de Habsburgicis,
Polyhistor Nobilissimus Lambecius, Consiliar. Historiograph. &
Bibliothecar. Optimi Maximi Imperatoris LEOPOLDI lib. 2. de
August. Bibliothec. Vindobonens. c. 6. Ab Romanâ Nobilitate, &
quidem ab *Aniciis Habsburgicorum*, à *Columniis* verò
Zolleranorum repetunt origines antiquas. Scopus omni-
bus haud idem. Quidam etenim ex opinione affectatæ raritatis,
quibus nihil, nisi quod Germanum non est, placet; quidam ex allu-
sione nominum ac merâ probabilitate, propter solidioris atq; ve-
teris historiæ defectum; quidam gravibus inducti causis facere id
solent. Inter primos, quales impugnamus hîc, minimè censemus
numerandos eos, qui originem Romanam malunt, vel præcipui
Scriptores, vel Heroes partim ipsi. Ne cui tamen parti facere in-
juriam nunc videamur, paullo diligentius uberiusq; hâc de re age-
mus. Initiò recogitandum est, annos effluxisse mille ac trecentos
circiter, ex quo tempore potiti rerum sunt per *Francos* suos *Teuto-
nes* & majores nostri. Seculo quippe à nativitate Servatoris quar-
to ineunte, præliis & victoriis egregiis adversus Gallos & Roma-
nos inclaruerant, *Probo* jam & *Gallieno* imperante, testib; *Pollione*,
Zosimo, *Procopio*, *Claudiano*, &c. *Eumenio* in Panegy. ad *Constan-
tinum*; ceu ostensum alibi. Sub *Probo* universam conturbârunt
Graciam navigio potentes *Franci*; in *Siciliam* delati maximas in
nsula*

Insula ediderunt strages *Syracusis* captis. In *Africam* delati tandem deductis *Carthagine* copiis, in patriam incolumes reversi sunt. Vid. *Zosimus* in primis lib. i. circ. fin. Inde etiam magnifica *Francorum* libertatem professorum nomina cum a vitâ fortitudine invulgas abierunt, ut à multis retrò seculis huc usq; omnes *Christiane fidei* in *Europâ* confessores, *ALFRANGVES* ab *Asiaticis* & *Africanis*, referente *Leonclavio* in *Onomast. Turcic. & histor. Musulmann.* l. i. appellentur. Hæc quoque causa fuit, cur *Germani* ex *Holsatia*, teste *Oleario* in *Itinerar. suo à Persis* *FRENCKI*, & *Lusitani* à *Sinensibus* *FALANCKI* (carent enim literâ R. *Sinenses*, neq; duas sine vocali interjectâ consonantes efferunt,) *Georgio Hornio* id referente l. i. *Orig. Americ. c. 7.* audiant. Locus memorabilis *Eumenii*: quid loquar intimas *Franciæ* nationes, non jam ab his, quæ olim *Romam* invaserant, sed à propriis ex origine sedibus, atq; ultimis *Barbariæ* littoribus avulsas, ut in *GALLIÆ* regionibus collocata pacem *Romani Imperii* juvarent, facile effecit, ut sequentia eò commentaretur *Barthius* illustris lib. 46. *Advers. c. 2.* Hic vides perspicue, omnem omnino *Germaniam* *Franciam* dici, ne ultimis quidem littoribus exceptis. Huc quoque intendisse digitum putandus est *Jacobus Spigelius*, *Selestadiensis Rhenanus* ad *Güntheri* *Ligurin.* l. i. vers.

Francorum proceres, quos inclyta robora Regni

Et validas nunquam pudeat dixisse columnas:

Ex Francorum gente, ait eleganter Comes Nuenarius, tanquam ex EQVO TROJANO TOTIUS GERMANIÆ NOBILITAS PROSILIIT. Nec nos movere debet quorundam stultitia, suam originem ad Romanos referentium. Qui si scirent, nullam in Italiano nobilitatem esse, (excipimus nos merito Aniciam cum præcipuis quibusdam aliis,) quam non Germani eò advexerint, non haurirent aquam è rivulis, ipso fonte contempto.

§. II. Nos pro Germanorum eminentiâ communi testem advocamus Italorum candidissimum piissimumq; *Sylvium Aneam*, qui Pontifex deinde maximus evasit, cognomento *Pius II.* sicq; ad *Martinum Mayerum* *Maguntiacens.* Comparemus cum veteri
(Ger-

(Germania, tempore Taciti ac Ptolomæi) novam, & primum de ampli-
tudine dicamus. Danubius ac Rhenus, qui quondam Germaniæ limi-
tes clausere, nunc per medios Germanorum dilabuntur agros. Belgicæ
regio quæ Galli prius portio 3tia fuit, nunc majori ex parte Germa-
niæ cessit, linguâ & moribus Teutonica. Helvetii quoq; gens ante Galli-
ca, in Germanos transiere. Rætia tota & ipsum Noricum & quic-
quid Vindelici nominis inter Alpes Italas ac Danubium fuit, ad Ger-
manos defecit. Austria, quæ apud Priscos Pannonici juris fuit & No-
rici portio, in Germanicum nomen conversa est. Scyria, quam Vete-
res Valeriam vocavere, Teutonicum morem atq; Imperium subiit.
Carni quoq; quos nos Carinthios Carniolosq; nominamus, idem fecere:
ita, ut fontes Dravi Saviq; nominatorum fluminum Teutonici juris
existant. Neq; Alpes ulla inter Italiam atq; Germaniam sunt, quarum
summa cacumina non possideant. Quin ad Orientem non modò Al-
bim, sed etiam Oderam & Vistulam transmiserunt, & in ipsâ quoq;
Occidentali Sarmatia Ulmigerorum Gepidarumq; agros invaserunt.
Nam & Austria trans Danubium & Moravia, & quicquid
Silesii ultra Oderam possident, Sarmatici quondam fuit soli. Quin &
in Oceano & Balthico sinu medias insulas sui juris fecere Teutones.
Idemq; Sylvius in Epist. 131. Germaniæ fines, scribit, uti veteres tra-
dunt, ab Occidente Rhenus à Septentrione Oceanus & mare Balthicū,
quod Prutenicum vocare possumus. Nunc quantum extra hos termi-
nos possideatis, ipsi videbitis. Vos (Anglo Saxones) Angliam, Britannis
pulsis occupastis. Vos Belgarum Helvetiorumq; fines, ejectis Gallis, obti-
nuistis: vos Rætiam & Noricum invasistis. Vosusq; in Italiam pedem
extendistis &c. Hæc ad gloriam famamq; Germanorum Italus;
idemq; pro autoritate ac ipsius rei veritate memoravit maximus
Sacerdos. Jam si ad Carolinū ævum & Ottonianum, ad Fridericorū
item atq; Henricorum tempora & res gestas maximas respiciamus,
ut Italiam cum Urbe domina à Longobardis aliisq; hostibus ad
incitas redactam liberarint fortiter, tum deinde nobilissimas Ger-
maniæ familias eò deduxerint, unde Gentes ortæ plurimorum
Procerum & ex Purpuratis Principum: non erit fortè cur Germa-
nos pudeat Germanicæ Originis. Odescalcorum certè genus, ut
innumera alia præteream exempla, à quo nomen hodiernus refert
Pontifex supremus, ex Germaniâ translatum Novocomum in Ita-
liam ex monumentis didici Romanis à Laurentio Schradero sedulo
col-

collectis f. 173. de Bartholomæo Odescalco Anno 1566. Romæ in monte tumulato *Aventino*. Plura apud eundem quære & invenies. *Antonium* videlicet *Lampanium* ex *Germania* multas nobilissimas familias in *Italiam*, *Galliam*, & *Hispaniam* deduxisse, author est *R. Snojus* l. 1. rer. Batav.

§. III. A *Gothis*, *Vandalis*, ac *Langobardis* obruta non semel, & ad ultimam salutis lineam *Italia* adacta, unde, nisi à *Germanis* peteret auxiliū consiliūq;? Ut probatione supersedeam, provocamus saltem ad historiam & res gestas. Deletæ, dissipatæ, ac confusæ modis variis ac violentis etiam familiae *Romane*, ut in media *Roma* non inveneris *Romanenses*. Ex ingenuis vix libertorum jura consecuti, libertatem pænè amiserunt omnem. Ubi igitur *Pompeji*? si diis placet *Aborigines*. Nullas tamen penitus profapias antiquas, inter quas præcipua *ANICIORUM* erat, remansisse integras, asseverare nolim. Hoc saltem liceat statuere cum *Reinesio*, summoperè curioso Viro atq; *πολυαριθμῶν*: De familiis *Romanis* (universim loquendo) nihil ferè certi post tantum *Chaos*; quo barbari magno numero è *Gracia*, *Gothia*, *Longobardia*, *Germania*, iis insiti sunt, decerni posse autumo. Qvi de familiis nominibusq; egerit *Romanis*, *Sansovinus Franciscus* ille meminit *Timocratis Arsenii* non semel; & *Gvilbel. Cordilli*, qvi registram *Nobilium Romæ* confecerit sedente *M. P. Martino V.* Vid. ipse *Sansovin. pecul. libro de famil. Ital. illustrib. Italicè conscripto editoq;* apud *Altobell. Salicatum A. 1609. Venetiis.* Quâ fide tamen id præstitit, redarguit *Epistola Scaligeri ad Jan. Dufam*, quâ *Viri* virus in *Scaligeris* narrandis defricat egregiè. Similem aggressus est laborem *Orlandus Malavolta* in *Senensibus*, *Bonaventura Angelus Ferrariensis* in *Parmensibus* antiquitatibus, *Joh. Maria Spelta* in *Nobilitate Papiensi*, *Franciscus Ælius Marchio*, & *Antonius Terminius* in *Neapolitanis*, *Baptista Fontejus* in *Gente Cæsiarum*, *Baltasar Bonifacius Rhodius*, in familia *Contarena*, *Francisc. de Petris* in *hist. Savellorum*, *Baldus de Branchi Malatestarum*, *Antonius Manettus Florentinus Cavalcantarum*, *Joh. Baptista Pigna* *Principum Atestinorum Ferrarie* publicat. libb. *Joh. Baptist. Nazarus* *Ladroniam profapiam*, *Hieronymus Fabricius Borromæorum* (qvi *Bon-*
Roma

omani R primūm dicti & fusè delineati sunt à *Bucelino* epist. dedic. tract. de formato foetu. descripserunt.

§. IV. Quicquid sit; vel nullam, vel exiguam allegare causam illi possunt, qui ab historicâ veritate destituti, spretis originibus Germanis, temerè ad exteras confugiunt. *Itali Principes (Caesariini Fürstenerii, nuperrimi, vel quisquis sub hoc latet schemate, Scriptoris verba sunt de Suprematu Principum Germania in præfat. ad Lect.) non minus ac Germani Imperio subsunt, & Germani non minus, quàm Itali Suprematus jure amplissimas divisiones tenent, & nostri dignitate familiarum atq; originum fortasse ipsis superiores habendi sunt; ut comparati cum illis Italis, planè novi & nuper nati haberi possint.* Idemq; auctor acutiss., qui hecatombem meritis ab uno ordine videtur, ab altero vix ovem, Cap. 23 *Hodiè, inquit, suprema Nobilitatis genus non Reges magis, quàm Principes nostros complectitur, confuso tot matrimonii sanguine, & eadem sæpè, vel certè nibilo inferiori origine familiarum.* Nam Galli *Capetingii* (Capetingi ab *Hugone Capeto* aliam longè rationem ineunt genealogiæ ap. *Blondellum* aliosq;) *Saxonicâ Witekindæâ origine gloriati sunt. Hispani, Galli, Sveci Reges* (cur non Dani, Hungari, Bohemi potius?) *ortu Germano sunt.* Stomachatur admodum ac detonat in eos *Gabriel Bucelinus, Histor. Agilolphingic. f. 387.* qui nimiâ Romanæ Nobilitatis seducti æstimatione nihil nobile, nisi deductum inde credunt, ipsâ credulitate in errores plurimos inducti; cum omnis Nobilitatis, (uti scribit) etiam Germanicæ hinc peterent originem, secumq; alios in varia errorum præcipitia abriperent; ex quo magna oppidò incommoda non in geneseos solùm cognitionem, sed ipsam etiam Historiam irreperint. Et in principio *Histor. Agilolphing. p. 347. ac p. 359.* gravissimè paratragœdiat adversus *Anicianos Habsburgensium derivatores. Quæ de Habsburgiorum, inquit, Guelphorum stirpe editorum, vetustate compertissima attulimus, ex mille & ultra annorum monumentis & documentis vetustissimi imprimis ab his conditi Monasterii Trudtpertini aded certa sunt, ut de his dubitare nemo sanæ mentis possit, qui ipse ve*

nos tamdiu & toties) vel semel inspexerit consignata in tot è perga-
 meno, ipsis, quibus vixerunt, diebus designata nomina tabulis pro-
 fundissimis insculpta, sepulchris lapideis, fusa atq; extantia areis
 monumentis, agnita à proximis & seris posteris, tanta non solum o-
 mnia in tot millium oculis, sed manibus ipsis, aut sensu omni careat
 oportet, qui conjecturis potius fidem adhibendam censeat & opinio-
 nibus, ut ajunt, valde plausibilibus, *Habsburgios scil. ab A-
 niciis, seu Olybriis, s. Perleonibus oriundos.*
 Ut si contra tot sensuum nostrorum experientiam alteri cuicumq; opi-
 nioni consentire vellemus, ipsa & conscientia & scientia nos merito
 toti orbi Christiano exosos redderet, qui temerario non solum, sed
 sacrilego ausu sacros tantorum Principum cineres atq; ossa uno quasi
 anhelitu exsufflare tentaremus. &c. Hæc Theologus Imperialis Mo-
 nasterii Weingartensis loco allegato, satis confidenter.

§. V. Idem alibi in Genealogic. German. Notit. part. 3. o-
 per. p. 20. veteres sic ordinat origines *Habsburgiorum*, ut tabella
 representat sequens:

1. Etico, cognom. Adalricus s. Albericus,
 Dux Alemanniæ & Alsatiæ, A. C. 685. à quo descend.

Adelbertus, Dux Alemanniæ Alsatiæq; *2. Etbo, Comes Brisgaviæ &c.*
Eberhardus, Dux Alemann. & Alsat. *3. Albericus, Comes Lebertha-*
lensis.
Warinus, Dux Alem. Comes Hegoviæ *4. Otbertus, Com. Habsburg.*
Isenbardus, Dux exercitus Caroli M. *5. Leutfridus, Com. Habsburg.*
Guelpho, l. Comes Altorfii &c. *6. Hundfridus, Comes ab*
Habsburg.
 XXVI. Majoribus omisfis aliis se-
 quitur tandem deductus ab his *7. Guntramus dives, Comes*
Habsburgi.
Ludovicus XIV. Galliar. Rex. *8. Lando-*

- | | | | |
|---|--|----|--|
| I | 8. <i>Landolus</i> , Comes Habsburgi. | I | 13. <i>Adelbertus</i> , Comes Habsburg. |
| I | 9. <i>Rabotbo</i> , Comes Habsburgius. | I | 14. <i>Rudolphus</i> , Comes Habsburg. |
| I | 10. <i>Wernerus</i> , I. Comes Habsburg. | I | 15. <i>Albertus</i> , Comes ab Habsburg. |
| I | 11. <i>Otbo</i> , Comes Habsburgius. | I. | 16. RUDOLPHUS Habsburg. IM- PERATOR AUG. |
| I | 12. <i>Wernerus II.</i> Comes Habsburg. | | |

Cetera Successorum nomina novit Orbis. Priorum seriem sic por-
 tō *Bucelinus* adstruit : *cūm de verā Habsburgiorum Comitum origine*
ex monumentis s. Trudperti atq; eorundem & diplomatibus eidem
Cænobio datis, nec non Scriptoribus synchronis certi simus, Gvelpho-
rum similiter originem inde, unde debebant, deduxerimus, ubi cum
majorum cineribus ossibusq; vetustissima gentis asservantur documen-
ta ac monumenta, à Weingartensibus procul dubio ac Trudpertinis
petenda, restat, ut nemo deinceps prudenter possit de Habsburgiorum
verā & solidā origine dubitare. Hæc pag. anteced. Prior & Ascetes
Weingartensis. Ad eundem pœnè modum concinnavit ante ordi-
 nem *David Blondellus, Gallus*, si malignitatem in Imperium Im-
 peratoresq; nostros omisisset, incomparabili Vir eruditione ac in-
 dustriâ, in præfat. Apologet. tab. Genealog. de gente *Erchinoldina.*
 Et in Geneal. Franc. assert. Systema illud est p. 365.

- | | | | |
|----|---|-----|---|
| I. | 1. <i>Erchinoaldus</i> , Lendefindis maritus, An. 665. denatus, à quo | | |
| I | 2. <i>Lendefius</i> ab Ebroino cæsus A. 679. | | |
| I | 3. <i>Adalricus Etico</i> , Alsatia Dux, denatus An. 720. | | |
| I | 4. <i>Hetto</i> , Comes | I | 6. <i>Eberhardus.</i> |
| I | 5. <i>Albericus.</i> | I | 7. <i>Eberhardus</i> Adalindis maritus. |
| | | C 2 | 8. <i>Hugo</i> |

- | | |
|--|-----------------------------------|
| 8. <i>Hugo</i> Hildegardis maritus. | 12. <i>Wernberus</i> . |
| 9. <i>Guntramnus</i> dives, A 946. d. 26. Mart. denatus. | 13. <i>Otto</i> , Hillæ maritus. |
| 10. <i>Landolus</i> , qvi & Landzelinus. | 14. <i>Wernberus</i> , Ittæ. |
| 11. <i>Ratebbo</i> . | 15. <i>Wernberus</i> , Gertrudis. |
| 16. <i>Albertus</i> , Ittæ Brigantinx maritus, Alsatia Landgr. | |
| 17. <i>Rudolphus</i> , Agnetis ab Hohenstauffen maritus. | |
| 18. <i>Albertus</i> , Hedwigis Kyburgicæ maritus. | |
| 19. RUDOLPHUS I. IMPER factus An. 1273. | |

Blondelli adversarius *Chiffletius* fatetur quidem in *Vindiciis* p. 42. ex prosapia *Erchinoaldi* (i. *Erckenwaldi*) masculinâ ortos esse Romanorum Reges & Imperatores XV. ex *Habsburgensi* linea XIII. ex *Zeringensi* binos, & à *Guntramo* divite XV. jam Cæsares. Sed *Aufriacæ* gentis stemma masculinum multò aliter disponit. Ecce!

- | | |
|---|-------------------------------------|
| 1. <i>Ottobercus</i> , <i>Vindonissæ</i> & <i>Altenburgi</i> Comes ab A. 654. ad An. 667. | |
| 2. <i>Babo</i> , <i>Vindonissæ</i> & <i>Altenburgi</i> Comes. | |
| 3. <i>Robertus</i> . | 7. <i>Luitbardus</i> . |
| 4. <i>Hetrobertus</i> . | 8. <i>Luitfridus</i> . |
| 5. <i>Rambertus</i> . | 9. <i>Huntfridus</i> . |
| 6. <i>Guntramnus</i> I. <i>Vindonissæ</i> & <i>Al-</i> | 10. <i>Güntramnus</i> II. dives &c. |
| tenb. Com. | |

In sequentibus consentit. Utri credendum magis? Vir celeberrimus *Chiffletius*, *Hispaniar. Monarchæ* à consiliis & *Archia-* ter *Eqves*, passus aliquid humani est, dum confudit lineas gradusque, & immiscuit nonnihil fabulosi. *Blondellus* autem ex actis *Murensibus*, ex *Fredegarii Chronico*, & vitis *S. Odilia*, nec non *Odilia*

Odilia vitar. Collectore *Aimoino*, ea protulit, quæ antiquitatis genuinæ gustum redolent; & quod *Christianissimo* Francorum Rege *Ludovico XIV.* inscripsit vastum Genealog. Francic. opus, subsidiis innumeris adjutus, ultra geminas Annorum decadas solitudine anxiam, (ut ipsemet ad Regem *Inviictiss.* dedicatione fassus est) perfecit. Hinc & à *Gabriele Bucelino* (quo post *Blondellum* diligentior hæc ætate nostrâ Genealog. Scriptor, quicq; majores fecerit impensas, in Europa visus hactenus non fuit,) deseritur *Chiffletius*. & si pauca demas ab initio, meretur calculum *Blondellus*.

§. VI. *Causam* adeò non habuit *Chiffletius*, cur conquiretur: *Inclytæ Habsburg.* gentis initia plures investigasse, nec ullum, suo iudicio fuisse assecutum. Vir gravissimus *Franciscus Gvillimannus* quidem in *Habsburgicis*, A. 1605. editis indignum confutatione censuit *Albertum Bar.* à *Bonslette*, *Eremitæ Deiparæ Decanum*, quòd lib. de *Maximil.* I. majoribus, *SCIFIADAS Austriacos* omnes statuit fuisse. Idem *Gvillimannus* meritò irrisui se præbuisse arguit *Job. Stabium*, *Hieronymumq; Gebuillerum*, dum ex *Vasthaldo* atq; *Hunibaldo*, hypobolimæis, ab ipsâ *Arca Noæ* ad *Trojanum Priamum* & *Sugambros* *Duces* derivare ausus est *Habsburgios*. Nullum tamen penitus initia *Gentis inclytæ Habsburgiorum* rectius ante *Chiffletium* fuisse assecutum, *μὲν αὖ λία ν ἀίτημα* videtur moderatioribus ingeniis. Sed nec *Blondello* in *Genealog. Franc.* assert. hoc concesserit laudatus suprâ *Dn. Lambecius*, quòd meris sint annumeranda fabulis, quæcunq; de *ANICIIS* antiquissimis post *Claudianum* ipsi etiam *Ecclesiæ primitivæ Patres*, aliiq; prodiderunt; quæq; de origine *Habsburgiorum* ab *Aniciis* ac *Perleonibus Argentinenfis*, *Raphaël Volaterranus* l. 23. *Anthropolog.* *Paulus Jovius* elogior lib. 5. *Job. Nauclerus* Volum 2. *Chronic. generat.* 43. *Hieronymus Rubens* *Ravennatens.* *Histor.* l. 5. *Arnoldus Wion.* in præfat. *Arboris vitæ*, & tract. de antiquiss. & nobiliss. famil. *Roman.* *Anicia*, *Proba*, *Olybria*, *Perleonia*, *Frangipania*, *Habsburgic. Austria* ac *Ulricus à Clingenberg.* in *Chron. Germ.* *Philippus Gothus Messanenfis* præfat. de *PETRI LEONIS* *Nepotibus*, s. *PERLEONIBUS* & *Felix Hemmerlinus* libro de *Nobilitate Palatii Romani Comitum.* Id operam daturi sumus igitur, ut stabilire & testimoniis & rationibus deinde nobis liceat, antiquitatis fidem in *Habsburg.* monu-

mentis *Weingartensibus* ac *Trudspertinis*, quæ *Bucelinus* urget maximè, non ideò labefactari propter *Perleonios Aniciosq;*; quin utramque potiùs sententiam adhibito conciliari temperamento posse.

§. VII. Primùm de nobilitate vetustateq; *Aniciorum & Olybriorum* præmittenda quædam. *Aniciorum* ortum ab *Anicio Vitaliano* derivat *Bucelinus* in *Histor. Agilolph.* p. 408. & *Anicium Vitalianum* à *Prodocimo*, divi *Petri* Apostoli discipulo fuisse baptisatum, ait. In carmine Panegyrico ad *Olybrium & Probinum*, fratres *Anicios*, sic *Claudianus* cecinit:

*His neq; per dubium pendet fortuna pavorem,
Nec novit mutare vices; sed fixus in omnes*

Cognatos procedit honor: quemcunq; requires

*Hæc de stirpe virum, certum est de Consule
nasci.*

Per fasces memorantur avi, semperq; remoti

Nobilitate virent & prolem fata sequuntur.

Divus è doctoribus Ecclesiæ *Hieronimus* epistolâ ad *Demetriadem*, sanguinis *Anicii* illustre decus vocat, in quo aut *nullus*, aut *varus*

fuerit, qui non meruerit Consulatum Rom. Sed & *S.*

Augustinus in epist. ad *Probam* atq; *Julianam* clarissimos ex *Anicia* stirpe foeminas appellat. Comes *Aventini* montis *Leo Anicius*, (cujus epitaph. *Baronius* Tom. XII. *Annal. Ecclesiast.* refert) rectâ genealogiæ serie à *Flavio Anicio Olybrio*, qui Romæ & in Occidente imperavit An. 472. descendit, vocaturq; Romanorum Nobilissimus. Celeberrimus tamen omnium *Petrus Leonis*, Tritavus *Rudolphi I.* fertur. Monumentum ejus, quod in atrio Basilicæ divi *Pauli* in via *Ostiensis Romæ* extet, à *Baronio* in *Annal.* ad Ann. 1144. hoc modo memoratur:

P raterit ut ventus Princeps, seu Rex opulentus,

E t nos ut fumus, pulvis & umbra sumus.

T ot tantiq; bonis pollens PETRUS ecce LEONIS,

Respice.

R espice, quàm modico regitur hoc tumulo.

V ir fuit immensus, quem proles gloria, census

S ustulit in vitâ, non sit ut alter ita. &c.

Locum planè memorabilem observavi nuper apud *Kranzium* in Saxonie. 538. ad Ann. 1115. ubi *Petrus Leonis* hic tempore *Henrici V. Urbis præfectus* dicitur fuisse. *Vir in Urbe potentissimus*, & impensè partibus Cæsareis addictus. Quasi divinasset, ex se suisq; imperaturos aliquando in Germania. *Leo Maximus Anicius, Perleoni*, *Aventini montis Comes Abavus Rudolphi Cæsaris*, obiisse perhibetur à *Lambecio* A. Ch. 1162. Sed *Abavus* illius *Albertus dives, Anicius Perleoni* *Aventini mont. Com.* cum fratre Româ pulsus ab *Arnaldistis*, in *Helvetiam* concessit; filiamq; duxit *Weneri* ultimi ex *Altenburgensibus*, & ex *Aniciâ* gente primus *Habsburgensis* Comes factus est: *Rudolphus* autem *Taciturnus*, Imperatoris Avus, divitis *Alberti* filius & *Albertus* cognomento *Sapiens* Pater Augustissimi *RUDOLPHI* allegari solet.

§. VIII. Testimonia si quæras, hæc præ cæteris merentur annotari. Primum suppeditat *Ulricus Krigius*, Nobilis *Tigurinus*, belli socius & æqualis *Rudolph.* de quo *Johannes Stumpffius* Hist. Helvet. l. 7. c. 12. prodidit memoriæ: *Hic Ulricus Krigius est antiquissimus Historicus*, quem invenimus solidè & perspicuè indicare, *Dominos de Habsburg oriundos esse ab antiquâ Romana Gente.* Si quidem hic *Historiographus* temporibus Regis *Rudolphi* ipse vixit, solidissimè rectissimeq; hinc videtur posse colligi, supra memoratam de origine *Comitum Habsburgensium* opinionem tunc temporis pro solidè verâ habitam esse, nec ullam aliam fuisse cognitam. Hæc *Stumpffius* de *Krigio*. Alterum *Albertus Argentinen*sis in *Chronic. A.* 1378. desinente affert: *Rudolphus Comes de Habsburg ex antiquis progenitoribus (Aniciæ Perleoniorum Gentis) ab Urbe Româ traxit originem.* Olim namq; duobus fratribus propter potentis Romani (*Arnaldistæ alicujus*) occisionem eliminatis ab Urbe, pater eorum nobilior Romanus dans cuilibet eorum immensam pecuniam, ipsos jussit in partes abire remotas. Qui se in superiori *Alemannia* receperunt. Junior plurimis stipatus *Vasallis* venit ad montem, ubi *Castrum Habensburg* (s. *Habelspurg*

(S. Habespurg ad allusionem *Aventini montis*) est collocatum. Ex quibus duobus fratribus omnes de Habspurg postea processerunt. Tertium depromit in Chronic. Austriac. 2. parte Gundelsingius, Magister Artium, Ecclesiae Friburgensis in Helvetia Capellanus, tempore Imperatoris Sigismundi, cui etiam opusculum hoc dedicavit. Verba Henrici Gundelsingii epitom. ista sunt: *Illustrium Comitum Aventinorum tuo ingenio, Praeclare Princeps, relinquo, qui tui originem tuorumque Praedecessorum gesta, ac eorum scribendo magnalia prioribus ex Chronographis melius novisti. Eorum tamen successionem brevibus incultisque explicabo verbis. Relegatis ac deportatis, ob potentis Senatoris trucidationem olim duobus fratribus praeclearae Romanorum familiae Petri Leonis dictae de Aventino monte, à Julii Caesaris familia descendentes, ipsisque ad Alpium juga venientibus, ubi nunc Castrum Habspurg. Lucernensem circa locum collocatum cernitur. Senior adeptus est pradia & possessiones, junior autem ingentia Vasallorum dominia; de quibus posteri descendunt Comites. Quartum exhibet Johannes Seifridus, Zwetbalensis olim in Austria Abbas opere de Genealogia Habspurgo Austriac., quod inscribitur ANICIANA ARBOR. Ubi inter alia docetur, quod (1) ab Anicia Perleonia, familia apud Romanos antiquissimam celeberrimamque deducendi sint Habspurgici: (2) quod Castrum Habspurg acceperit per matrimonium Albertus, cum filia Wernerii, ultimi Comitis Habspurgensis ex prosapia Vindonissensi, sive Altenburgica: (3) quod post obitum Wernerii & defectum proles masculae, nova successerit familia Habspurgica, Anicia Perleonia.*

S. IX. Rationes si desideres, haec reddi possunt. Initio notandum probe est, cum nulli accuratius de laudatissimis Majoribus constiterit, aut potuerit constare, quam Rudolpho ipsi Caesari, non altius fuisse orsum in progenitoribus suis recensendis, quam à Proavo Alberto divite. Ad Diploma provocamus Rudolphinum, quod ab illo publicatum A. 1259. fuit, cum Alsatia Landgravius adhuc existeret. Conf. & Job. Scumpff. l. 7. Chron. Helvet. c. 12. Deinde memoratu dignum, à Maximiliano I. literarum & originis suae multò religiosissimo indagatore rerumque in Germania vetustissimarum minimè ignaro, testimonio non Jovii solius atque Hierony-

ronymi Rubei, sed aliorum pariter, tum imprimis etiam à *Carolo V.* atque *Sigismundo Austriaco Friderici IV.* Patruale id constanter creditum fuisse. Quà quidem in sententia Cæsares Sapientissimos, sine fundamento solido, aut veterum gravissimâ auctoritate permansisse, minimè credendum arbitrantur, qui rem altiùs expendunt cum *Seifrido*. Nec ponderosam satis causam venerabilis *Limneus* habuit in *Addit. ad J.P. l. 5. c. 2. Tom. 2.* cur suspectaret hæc à *Jovio* ac pluribus prolata; quòd omissæ loci temporisq; essent circumstantiæ in talibus effatis. Non enim *Jovio* propter *Jovium*, sed propter *Maximilianum* tribuenda fides. Cæsare quis, post immortale Numen, major in his terris testis? is verò Augustissimus *LEOPOLDUS* Noster; cui ita penitus persuasum hodieque est. Imò universim id nuperrimè pronuntiavit lib. 2. oper. de *August. Bibliotheca Vindobonens. cap. 6.* *Lambecius Polyhistor*, hanc de *Romanâ* Gente veteri *Anicia Perleonia* sententia *Gloriosissimis Principibus Austriacis, ut veram comprobatam* asserit fuisse. Et superessent alia de *ANICIORUM* gloria & antiquitate, *Anicii Valeriani* nempe, *Prandi* etiam, qui *Ao. Ch. 360.* floruit, tum de *Vitaliano*, & *Jobanne* (qui pulso *Totilâ* rem strenuè Romanam egit meritusq; nomen *Bon Romani*, corrupto in sonum Italicum vocabulo, ad posteros transmisit *Borromais*) afferenda; nisi suffectura seriò hæc æstimantibus arbitraremur.

§. X. Eò adnitemur potiùs, ut *missis Tritheimii, Manlii, Lazii, Stabii, Gebvilleri, Eizingeri*, aliorumq; fluctuantium hæc parte contradictionibus, conciliandi viam vestigemus, quâ duæ principes, ad speciem contrariæ, sententiæ invicem in unam coeant. Stamus siquidem pro *Aniciorum Perleonia* origine; sed propter monumenta *Trudspertina, Weingartensia, & Murana, Habsburgensium* prosapiam in *Helvetiæ* oris antiquissimam non possumus non simul venerari. Quam in rem uberiora porrò deprehendas apud *Dn. Betulium* in *Spec. honor Austr. passim*; tum imprimis apud *Dominicum Tschudi*, *Abbat. Muran. de Comitibus Habsburg.* ut prætereamus hîc *Ricard. Bartholin. Perusin. & Pont. Heuterum* in *Austriac.* nec ponendum loco ultimo *Gerardum de Roo*, qui tres an conformia simplici antiquitati hoc nomine sem-

D

per

„perferipferint, iudicio committimus Lectorum. Ante omnia vi-
„dentur distingvendi invicem *Altenburgici* i. e. antiqui *Habsburgen-*
„*ses* Comites à recentioribus, primigenii ab his derivatis, adoptati
„etiam ab adoptante. Si *Berulii* seqvamus ductum lib. 3. Spec. Austr.
c. 3. sic disponenda foret series: *Luitbfridus* Comes de *Abensburg*
An. Ch. 902. ad fluvium *Neumaga* (ita in Diplomate vocatur,) si-
tum Monasterium Abbati *Walderico* traditum divo dedicaverat
Trudiperto Eremitæ, *Scoto* & religioso Viro. Hunc *Luitbfridum*
quem exceperint è Nepotibus posteritate serâ, ordo Epitaphio-
rum ibi vetustissimorum docet.

Hundfridus Comes Habspurg. obiit A. 918.

Guntramus Comes Habspurg. ob. A. 945.

Günzelinus s. *Conradus* minor C. ob. A. 971.

Ratboto s. *Rapatbo*, Com. Habsp. ob. A. 1027

Wernerus Com. Habsp. obiit. A. 1096.

Otto, Hillæ marit. Com. Habsp. occisus A. 1110.

Wernerus, Ittæ marit. Com. Habsp. ob. A. 1159.

Hic siste aliquantum lector, & expende. In *Werneris* etenim ob-
scuritas & difficultas delitet. Duone, an tres sint admittendi po-
tius *Weneri*? quæritur. Hoc certum est, in ultimo *Wenero* pro-
lem defecisse masculam *Habsburgicorum* veterum ex familia *Alten-*
burgica. Sive tamen admittendus tertius, seu omittendus, pro-
pter monumenti pristini defectum sit *Gertrudis Starckenbergica* ma-
ritus, prætervehatur illum tutò scopulum, & ex *Aniciorum Perle-*
oni prosapia in jura pariter & nomen Comitis *Habsburgici* fuisse
à *Wenero* hoc postremo adoptatum Generum, *Albertum* statu-
amus. In casu pænè simili Comitis de *Quervorde* scripsit verissimè
Alb. Kranz. lib. 5. Sax. c. 25. *Nobiles per successionem materni generis*
aut per initam affinitatem nonnunquam titulos mutasse. Hinc porro
Albertus Dives, Com. Habsp. obiit. A. 1199.

Rudolphus, Tranquillus, C. H. ob. A. 1232.

Albertus, C. H. & Alsat. Landgr. ob. A. 1240.

Rudolphus, C. H. Augustus Imper. fact. A. 1273.

Anna Hobenbergica maritus, pro seculi istius captu hoc gavisus
legitur Epithalamio.

Rex Rudolphus & inlustris Regina dat Anna,

Natio

*Natio quòd floret nunc præ reliquis Alemanna
 Nam Rudolphus & Anna, quibus precor omnibus annis,
 Ut sit honor virtusq; , trahunt genus ex ALEMANNA.*

CAP. III. de
 ORIGINIBUS HOHENZOLLERANO-BRANDENBURGICIS.

Elenchus contentorum.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Origo Zolleranae Domus non petenda ex Italia. Columnii à Zolleranis & Germanis. Notantur aliquot Scriptores rerum Brandenb.</p> <p>2. Res Gvelficae ac Scriptores harum. Gabrielis Bucelini <i>ἀντίπρ</i> testimonia.</p> <p>3. Welphorum nomen atque patria. Confundantur horum numeri secundum lineas & gradus. Welphi Comites & Duces Sveviae ac Norici.</p> <p>4. Welphorum consanguinitas cum Caroling. & Regia vetustas representatur per tabellam. Ortus ordoq; Welphorum ex Abb. Urspergensis.</p> <p>5. Ad Zolleranos Comites regressus. Humbaldus hypobolismæus vapulat. Autores probabiliores alii de</p> | <p>gest. Zolleran. Marchion. eminentia asseritur Eorum.</p> <p>6. Monasterii Murani monumenta. Thasfilo, Guntramus, Cunzelinus, aliiq; Zollerani Comites ad Eitelfridericum. Genealogia Zolleranorum à Gvelfho atque Thasfilone usq; ad tempora Rudolphi I. Habsburg. Imp. Qvis ille Hugo March. Brandenb. in Italia? Exemplum eius memorabile.</p> <p>7. Quaestiones aliquot de Burggraviis Noriberg. succinctæ. Ducatus Franconiae quousq; extendatur? Jura Marchionum Serenissimor. pro hoc axiomate.</p> <p>8. Clausula & votum pro Habsburg. & Brandenburgicis Augustis Dominibus.</p> |
|--|---|

§. I.

Valeant, quicumq; nullâ penitus necessitate acti, nullo historiæ fundamento nisi solido, Germanæ antiquissimæq; Domus *Zolleranae* ortum splendidissimum crassissimis involvunt tenebris. Est genus hominum, quod fontibus relictis consecatur rivulos, sed aquas haurit turbidas. Sive autem ex opinione magnitudinis & excellentiæ conciliandæ, sive nationis vitio id fiat, ut nihil videatur admiratione dignum, nihil rarum, nisi quod ab exteris profectum, certo certius haberi debet,

ad decus Serenissimæ familiæ BRANDENBURGICÆ haud facere, si posthabito Imperatorum Regumq; culmine, à quo propter sanguinis & affinitatis arctiora jura descenderunt proximè, per vagas & sine capite narrationes nunc ab his, nunc ab aliis deriventur saltem obiter. Opinionem pervulgatam nominat *Limneus* s. J. P. 7 Brandenburgicam familiam à Columniorum Romanâ stirpe principia duxisse, perq; Zolleriorum primò, postea Burggravorum Noribergensium titulos, deniq; ad Brandenburgensium, è Marchia Brandenburg. titulos & nomen conscendisse. Ferunt enim Petrum Columnium sub Henricorum Imperio, ob Pontificiorum turbationes inquietissimo, cum aliis familiis Româ pulsum, Castellis hereditatis paternæ, Columnâ nimirum & Zagarolla perditis, in Germaniam secessisse, ibiq; impetratis oppidis & pratoriis, arcem exstruxisse, eamq; ad memoriam prædictæ paternæ, Zagarollam dixisse (unde posterorum titulus de Zollern) atq; hujus familiæ prima posuisse semina. Hæc cum vulgo venditentur sine testibus idoneis, nec vel causæ, vel circumstantiæ distinctè referantur, quantum differant à fabulis, quis non intelligit? Confusè dicitur nimirum, à *Columnio*, *Henricis* impetrantibus, ob turbationes Pontific. in Germaniam deductos *Zolleranos*. Perverso ordine à *Columniis Zollerani*, dum illi ab his derivandi potiùs. Quo seculo, quo anno, quibus deniq; Scriptoribus, id clarè referentibus hoc factum sit? non additur. Ex *Sebastian. Münstero* & *Pantaleone* manifestum est, descripta esse, quæ de *Zolleranorum* à *Columniis* origine in Genealogicis operibus relata à *Reusnero*, *Henningesio* aliisq; sunt. Idem cur tam facile crediderit, nec diligentius examinaverit in Originibus Brandenburgicis *Reineccius*, & *Andreas Angelus* in Marchicis Annalibus, miramur. Poterat & *Zimetsbusius* in Arbore Brandenburg. & qui dudum ante edidit de Marchionum Brandenburgens. insignibus libellum *Petrus Hassitius*, *Cernitius* in imaginibus, tum post hos *Theodorus Hopping* opere de Insignib. c. 6. part. 6. n. 882. accuratiùs in multis sibi prospexisse. *Qui facile credit, decipitur facile*. Hoc nimirum est, antecedentem gregem sequi, & venalem aliis debere fidem, aut quemvis candidum lapillum adorare. De *Ferfrido Columnio* nimis egit obiter *Münsterus* *Cosmogr.* l. 3. pag. 871. Idem pariter de *Zolleranis* l. 3. p. 937. atq; *Henricus Pantaleon* part. 2. de Vir. illustr. Germ.

Germ. Quæ quidem etsi non expenderit aut mentoraverit *Limnæus*, Vir Gravissimus, relictissimum de hac interim opinione tulit istiusmodi iudicium: *ut ut hæc pervulgata sit fueritq; traditio, atramen Peucero lib. 5. Chronic. aliq; quos & ego sequor, non sine colore placuit, familie hujus fundamenta à Guelphis trahere, Columniorumq; potius ab ipsis, quàm horum ab illis deducere originem.* Lib. 5. Jur. P. c. 7.

§. II. Omnino ita est; à Guelphis, Welfonibus, Welpis, aut Welpis [scribe etenim uti lubet, modò rei nihil mutes,] antiquissimæ repeti origines *Zolleranorum* debent. De rebus Guelphicis cum multi passim egerint, tum imprimis *Job. Baptist. Pigna*, *Italus*, *Histor. libb. de Principibus Atestinis*, & primò nominandus *Gabriel Bucelinus* in *Histor. Agilolphing.* cui, propter solertissimū ac serium scrutinium, sed & propter *ἀνοψία* in monumentis Guelphicis lustratis versatissimo, præcipuas hîc vendicamus partes. Sic verò ille in *Genealog. German. notit. de his part. 3. Sive Helvetiam, sive Sveviam, sive Alsatiam superam, s. inferam ritè lustres, & prisca potentia monimenta*, eadem ubiq; appensa vetustissimis literis sigilla *Agilolphingorum, Guelphorum, Habsburgiorum*, unum omnino idemq; insigne referunt; uti & cum mutatis sedibus translata nomina *Altorfium Alsatia & Svevia, Altenburgum Helvetia & Algovia*, alterum ab altero cognominata. Cum proinde de *Habsburgicorum Comitum* origine ex monumentis *S. Trudperti*, atq; eorundem diplomatibus eidem Cœnobio datis, nec non *Scriptoribus synchronis certissimis, Guelphorum* similiter originem inde deduxerimus, ubi cum majorum cineribus & ossibus vetustissima gentis asservantur documenta, à *Trudpertinis & Weingartensibus* perenda; superest ut largiamur fidem. Idem ad majorem certitudinem ibidem scribit: *Vidimus ipsi, legimus, & characteri vetustate attrito, profundo nihilominus, digitos immerimus, pulveres cum acate vix superabiles extraximus, & quæ sequuntur.* Vitio haud vertet nobis Lector honorandus, si cum obvium non sit ubiq; *Bucelinianum Opus* inclytum, hæc quoq; de *Columniis & Zolleranis* transferamus huc ex ipso. Non ignoramus (ait loc: all: p. 57.) esse non paucos, qui à *Columniis Romanis* ausi sunt familiam *Zolleranam & Brandeburgicam* deducere; adeò tamen

ridiculo errore, ut, dum nihil priscum, nihilq; gloriosum amplius ducunt, nisi à Romanis derivetur, suam ipsi ignorantiam passim prodant, & convincantur eo ipso novam fecisse familiam, dum pro ejus contendunt antiquitate, quos haud immeritò argutè admodum refutat simulq; explodit eruditissimus Brombachius de familiâ Zolleranâ haud minimum meritis &c.

§. III. De *Welforum* vetustissimorum statu ante omnia & dignitate sollicitos nos esse decet. Origo horum antiquissima, & historiarum monumentis inde à temporibus *Caroli M.* haud dubia deduci potest. Consanguinitatis jura Regiis ac Imperatoriis familiis innexa plurimis exemplis gaudent. De sensu & occasione nominis vix est ut laboremus, *Catuli* nimirum dicti cur & unde sint? Ad fabulas accedit, quicquid de multipara tot abjectorum liberorum genitrice perhibent. Agnoscit etiam absurda *Veingartensis* Præsul in Agilolphingicis. Propius id vero, quod commemorat *Joh. Baptista Pigna* lib. 2. Principum *Estens.* Hist. à mero beneplacito fluxisse impositionem nominis, quo bellicosum Martiumq; animum indigitare voluerunt. Marti etiam sacrificasse memorantur ab eodem. Quicquid sit, origine Germani erant, Itali nequam, *Welfi* veteres. Sed & possessiones in *Suevia*, *Norico*, *Bojaria* & alibi amplissimas latè patentissimasq; habuerunt. Domus princeps fuerat *Altorfium*; hoc cineres, hoc ossa vetustissimorum servat. Ab hoc denominati *Altorfenses*. Ex *Altorfi* rudibus surrexit *Weingartense* Monasterium. Initiò fatendum est, ab illis etiam, qui diligentius res *Guelphicas* antiquas vestigarunt, non distinctè satis tradi nomina & numeros *Welforum* juxta lineas & gradus. Animadvertes (inquit in Hist. Agilolph. *Bucelinus* f. 368.) *Guelphum I.* proximo sanguinis, post fratres & sorores, jure, *Ludovico Pio Imperatori* junctum: inde novo vinculo *Juditham Guelphonis I.* filiam nuptam novam & mirabiliter, ceu *Gordium* nodum intricatum familie utriq; *Carolingæ* & *Guelphicæ* necessitudinem causare. *Filius Guelphi I. Erbico*, Princeps *Alemanniæ*, *Dux Bavarie*, *Comes Altorfensis* genuit *Cunonem*, seu *Cunradum Franconie Ducem*, ab *Alberto Babenbergensi Comite* occisum, Anno 897. Hic *Conradum I. Augustum* seu Imperatorem factum. In *Historia vitæ & gestorum Caroli M.* *Eginhartus* alicujus *Lupi*, sive *Welfi* mentionem fecit, cun-

eundemq; *Ducem Vasconum* appellat. *Annales Hepidanni, Bertiniani, Metenses & Fuldenses* absolutè saltem *Comitem* salutant *Welfum*; nullâ Comitatus tamen patriæ designatione factâ. Chorepiscopus *Tbeganus*, Scriptor coætaneus nobilissimâ *Bajoariorum* stirpe oriundum *Welfum* asserit. *Chiffletius* etiam *Ludovici Pii* socerum ob filiam *Juditham, Welfum*, *Comitem Altorfii* agnoscit. *Blondellus* verò etsi fateatur in assert. plenior. *Geneal. Franc. p. 43. Welfonem*: (1) *Bavarum*. (2) *Comitem* fuisse talem, cui simul etiam commissus *Nobilissimus Bojaria Ducatus*, jure non hæreditariò & patrimoniali sit, negat tamen, *Comitem Altorfii & Suevia* vocari posse. Sed pro *Chiffletio* militant antiqua monumenta, & in *Chron. Hermann Contracti* nominat *Suevigenas Guelphones*. Ut non immeritò dicendum sit, conjungi *Noricum Bojariam & Sueviam* debere.

§. IV. Nunc de dignitate ortûs eminentiaq; si ingrediamur scribere, res iret in *Annales*. Brevitatis causa faciemus horum omnium compendium. Sagacissimus *Blondellus* testis est in *Apologet. præfat. n. LXXIII.* indubitatam cognationem familiarum *Caroline, Capetingica, Saxonicaq; & Alsatica à Guelphis* dependere, *Comitis Guelphi* filiam *Juditham* conjugem & habuit, & filium ex eâ *Carolus Calvus* generavit *Ludovicus Pius* Imperator; *Abb. Ursperg. ad A. 820.* quo cum accuratiores omnes faciunt. *Welfonem* filium *Adelheidis* *Senonense Chronic. ad Chr. 881.* & *Hugonem Welfi* Germanum *Regali prosapia* appellat editum. Pontifex ipsemet alicubi hæc de *Carolomanno Bajoariorum Rege* *Guelphicæ originis* perscripsit: *Carolomanno Glorioso Regi mittatis consilium ut Romanam Ecclesiam, quæ vobis vestrisq; omnibus Regale & Imperiale decus contulit, venerando diligat.* Systema ita habet:

Welfus Altorfii Comes, tempore Caroli Magni.

| | | |
|---------------------------|---|---|
| I | I | I |
| Judith, uxor Ludovici Pii | Conradus Adelheidis maritus | Rudolphus I. |
| I | I | I |
| Carolus Calv. Imper. | prior denatus A. 862. d. 20. Febr. Dux Burgund. | S. Richarii Abb. denat. 866 Ludovi- |

Ludovic. Balb.
Rex Franc.

Carol. Simpl. Rex Franc.

Conrad. II. Ermentrui- Welf Abb. S. Germ.
dis Luitfrido natæ ma- A. C. 881. etiam de-
ritus d. 881. denat. nat. ex profap. Reg.
juxt. Chron. Senon.

Et ut cognoscas porrò Ducalem, Regiam, Casareamq; hanc originem *Welforum* atq; propagationem, accipe collecta studiosè ap. *Jobann. Baptist. Pign.* de Principibus Atestinis. Novem nempe *Welfos* lib. 1. ordine exponit, ad *Henrici Leonis* Nepotem, *Ottonem* usq;, *Friderici III.* Imperat. consanguineum, à quo hodierni Duces Sereniss. *Lüneburgici* ac *Brunsvicenses* (post plurima indignè passa à *Conrado III.* & *Friderico I.* Barbar.) descendunt. Vid. *Meibom.* erect. Ducat. Brunsvic. *Urspergensis* Abbas (cui plurimum auctoritatis atq; fidei tribuimus cum horum accuratè conscius extiterit,) in Chronici sui eâ parte, ubi de *Lothario* agit *Saxone*, consulendus est imprimis; quoniam ex professo ibi egit, ut constaret & de ortu & de ordine *Welforum*. De isto ita memorat: *Creduntur Viri illi inclyti fuisse, de gentibus illis, quæ sub Valentiniano Imperatore de Scythia erumpentes, diversas partes Germania occupaverunt, & dominatum obtinuerunt.* De hoc autem tale ordinat systema: *Primus ejus generis, de quo legitur, fuit quidam inclytus dictus Eticho, qui genuit filium Henricum. Hic uxorem duxit de Bavaria Beatam nomine, ex quâ tres filios progenuit, Conradum, Constantiensis Ecclesie Episcopum, & Etichonem, & Rudolphum. Hic maritus Ithæ, duos ex eâdem filios suscepit, Welfonem & Henricum. Ille Welfo Comes Imperatori Conrado II. rebellavit aliquando, genuit filium Welfonem, filiamq; Cbunzam nomine, quam Azzoni ditissimo Marchioni Italia uxorem dedit. Filius eius Welfo III. per omnia probatus Vir, Ducatum Carinthiorum & Marchiam Veronensem simul acquisivit. Immaturâ morte præventus, sine herede decessit & possessiones suas Ecclesiis distribui mandavit. Hanc distributionem non permisit mater, sed de Italia revocavit filium Azzonis, nepotem suum Welfonem IV. qui primum Ducatum Bavariorum adeptus est, & multa magnifica peregit. Accepit hic Regiam, Angliæ*

Anglia tunc Viduam ex quâ duos filios, *Welfonem V. & Henricum* progenit. Igitur *Welfo V.* Patre mortuo Ducatum acceperat *Bavariorum.* Accepit autem *Matildam* nobilissimi & ditissimi *Italicæ Marchionis Bonifacii* filiam in uxorem. *fæminam virilis animi, quæ ad instar fortissimi Principis totam terram illam dominio suo subjugavit.* *Henricus Pater* ejus Ducatum & illius omnia obtinuit. Uxorem habuit de *Saxoniâ Maginonis Ducis, Wûlpildem* nomine. Tres ex eâ filios suscepit, quatuorq; filias. Ex his *Juditha* nupsit *Friderico Suevorum Duci, quæ Fridricum I. Imperatorem nostrum genuit.*

S. V. Sed satis diu Guelphicis dum incidenter saltem, immorati sumus. Nunc itaq; ad **ZOLLERANOS COMITES** regrediamur, ut felicius, præmissis hisce necessariis, pergamus. Tractaturos gravia oportet esse cum formidine erroris circumspectos, genus historiæ tumultuarium non sequi, aut confictis vel nominibus, vel ausu temerario interpolatis addere mox fidem. Regula contextus accuratioris in oculis habenda semper. Quæ dum seriò agitamur apud animos, miramur, potuisse in tam momentosâ causâ à *Tribemio Hunibaldum* allegari testem, qui fabulator nec *Hincmaro*, neq; *Reginone*, nec *Gregorio Turonensi*, neq; *Sigeberto Gemlacensi*, quia homo nuperus, & nescio quis terræ filius, antiquior esse potuit; hypobolimæus quippe ac supposititius. Detrahit meritò antiquitatis larvam *Hunibaldo* illi, Vir acerrimi iudicii *Job. Isacius Pontanus* in *Origg. Francic. lib. 3. c. 3.* ut plurib. opus non sit. Deinde nulla nos necessitas confugiendi ad picturas & pictores, quibus quodlibet audendi semper fuit æqua potestas, adigit. Chartam exhibet & diploma antiquissimum *Blondellus* in *Geneal. Francic. assert. plenior f. 548. Henrici V. Basileæ. A. C. 1114.* ubi *Fridericus de Zulra Comes* cum *Alberto Comite de Habespurg* conjungitur. *Zollrensum* quoq; meminit à *Lichtenau Urspergensis Abbas* in *Chron. ad A. 1152.* quod cum *Conradi Regis Filio* suppetias *Hugoni Palatino* tulerint adversus factionem Guelphicam potentem in obsidione *Tubingæ. Hermanus Contractus* in *Chronic. ad Ann. 1062.* *Burcardum* memorat ac *Wezil de Zollerin*, occisos fratres *Comites.* Et si verò titulos pomposos prisca seculi simplicitas non ferat, nec ante *Fridericum II. Imper.* curialia *Germanicè* conscripta; hæctenus nihil tale editum profectò sint: certissimum est tamen

E

Carolinum

Carolinum Cæsaris illius, Aureæ B. Conditoris testimonium, jam ab antiquo tempore Illustribus Principibus parificatos esse Marchiones Brandenburgicos. Quam dum recogito augustam vocem, haud abs re indignor, Græculum Scriptorem *Gregoram Nicephorum* Hist. lib. 7. scripsisse: Ἡ τῶν Μαρκεσιῶν τάξις ἐ τῶν ἐπισήμων ἐστὶ τῶν Λατίνων. Ἀλλ' ὅπερ ἐν τοῖς Ρωμαίων στρατεύμασιν ὁ τὴν βασιλικὴν κατέχων σημαία τῶν τῶν Λατίνων Μαρκεσιῶν. h. e. *Non sunt apud Latinos in magnâ dignatione Marchiones constituti: sed eum gradum tenent, quem apud Romanos is qui Vexillum Imperatorium gestat. Sed qui sit, mi homo, cur Fridericus I. Imp. Ducibus immediatè junxerit Marchiones. 2. Feud. 55. Et quare Limitanei illi Comites partim ab Electoralibus, partim ab Archiducalibus & Imperatoriis Familiis à tot inde seculis descendunt, Brandenburgici, Misnenses, Austriaci? An olim tam abjectum munus fuit custodire limites Imperii adversus Slavos, Henetos Hunnosq;?*

§. VI. Nunc alia examinemus documenta. In *Murensibus*, quæ diligenter equevidem sunt expendenda, & collecta copiosè à *Dominico Tschudi*, Monasterii Murani Præsule, *Thassilonis* mentionem fieri sub *Carolo M. Comitis Zollerani* dicti, audio proboq;. Non confundendus ille tamen fuerit cum *Thassilone* Duce *Bojoriæ*, qui eodem vixit ævò, & propter perduellionis crimen *confuratus* (ita olim Monachi scribebant) abditus in claustrum, & Ducatu spoliatus suo est à *Carolo victore. Eriboldum* vel rectiùs *Ebrenaut Edleboldum*, filium istius *Thassilonis* veneror *Abbatem Angriæ* opulentæ, & diploma *Reichenviense* æstimo, quod ad A. 840. extendit vitam ejus, atq; *Altorsibus* respondet monumentis. Sed quid jam sibi vult *Gundramus*? An ille *Thassilonis* filius cum *Conzelino*? Vellem ut tubicine validiori id affirmaretur. *Guntramus* enim & hic *Cunzelinus* (i. e. *Cunradus minor*) pertinent ad *Habsburgenses* antiquissimos, *Altorsii* nimirum *Comites*. Nepotem *Thassilonis* ex *Dancone* filio, *Rudolphum Zolleranum* *Comitem* invenio apud *Veingartensem* *Monachum*. Et utinam res ita se haberet, ut à *Cunzelino* *Palatinos Sigmaringenses* pariter & *Principes Columnios* *Italiæ* liceret derivare. Hoc certum est, *Columnios* à *Zolleranis* ortos. Reliquos ad *Eitel Fridericum I.* *Successores* facilè admitto, propter præconia in *Torneamentorum* libris atq; actibus tributa; quibus

quibus non contrariantur vetustissimæ memoriæ *Trudpertinæ*.
Illud dubio non caret, quisnam *Thasfilonis* pater fuerit? *Albertum*
faciunt nonnulli, alii verò *Thasfilonis* fratrem nominant. *Proba-*
bilius videtur nobis (inquit *Bucelinus*,) *si quis extiterit Albertus,*
Thasfilonis fratrem potius fuisse; nisi Isenbardum ipsum Albertum fu-
isse contendamus; & nomen Isenbarði ab eventu quodam sortitum
velimus, quod veteribus sæpius placuit, & sexcenta istius modi ex-
empla suppetunt. Ut exposita huc usq; oculis objiciamus ad con-
spectum unicum, conducet præsens Tabula.

Albertus, sive

Isenbardus Princeps Alemanniæ, Comes Altorffensis & Raven-
spurg. uxor Irmentruda soror S. Hildegardis Imperatricis.

I

Gvelpho I. à quo Gvelphi reliqui Thasfilo sive Thasfilonus Co-
& ex his Capetini & Burgund. mes Hachinganus à castro quod
abavus maternus Hachingus Dux
I struxerat.

Etleboldus Abbas Angriæ divitis. Danco, Comes Zolleranus &
I Hachinganus.

Rudolphus Comes à Zollern. Uxor N. Comitissa de Reineck.

I

Otto Comes de Zollern, uxor Ottilia, Comitissa Veringensis.
Plures liberi, quorum nomina referre, non interest.

I

Fridericus I. Comes de Zollern. Wolfgangus Comes à Zollern
958. uxor Meza, Com. Nassov.

I

Fridericus II. Comes à Zollern. Uxor Ursula Com. ab Hohenberg.

I

Fridericus III. Comes à Zollern. Uxor Sophia Com. Palat. Tubing.

I

Burcardus Comes à Zollern, occiso 1061. Ux. Anastasia Com. Rhein-
feldensis. Wezel Com. à Zollern cum fratre occis.

Fri

Fridericus IV. cogn. Maute, Comes Zolleranus: Uxor Adelheide
Comitissa Kyburgia.

Fridericus V. Com. Zoller. Rudolphus II. Comes à Zollern, 1153.
Uxor Agnes, Baron. Gundelfingana.

Burcardus Com. Zoller. Fridericus VI. Comes Zoller. Ux. Comi-
tissa Bipontina 1195. Conradus Com. Zoller.

Eitel-Fridericus I. Comes à Zollern, 1252. Ux. Clementia Soror
Rudolphi I. Imperat.

Successores reliqui longâq; descendentes serie hæredes brevitatis
studio hîc omittuntur, velut positi clarissimâ in luce. Nisi quòd si-
lento non penitus prætereundus Hugo, Marchio in Italia Branden-
burgic. vocatus, sed corruptè Haug à nostris, Vicarius Imperii,
cognominatus olim. Minimusne natus filius hîc Cunzelini? hæreo
& Annalium imploro fidem. Illum equidem Hugonem novi, quo
de Georgius Sabinus in Histor. Hugonis Brandenburgici sequen-
tia recenset: *Imperante Ottone III. Marchiam Brandenburgicam
tenuit Hugo, Princeps clarus & honoratus, qui in Italia magnam
celebritatem fame consecutus est. Egit enim ille Vicarium Otthonis, cui
erat propinquitate (propter Gvelfhicam haud dubiè originem) con-
junctis, & Hetruria provinciam fidei sue commissam gubernavit.
Hunc autem ferunt initio ludis & venationibus deditum, admini-
strasse Rempubl. negligentius; sed postea mirabiliter commutatum,
abduxisse animum à voluptatibus, Remp. omni curâ ac diligentia
complexum esse. Fortè accidit, ut in venatione aprum consecutus
à ministris suis aberraret longius: inq; specu solus pernoctare co-
geretur. Ibi occurrerunt ei noctu visa, quibus perterritus cum dies
illuxisset, rediit Florentiam: ac Florentino præfuli rem enarravit,
à quo opportunè admonitus est, ut posthabitis ludis ac venationi-
bus, susciperet curam reipub. eamq; anteferet suis voluptatibus:
ineminisset se non otii sed negotii causâ, constitutum esse Vicari-
um Imperatoris: ac reddendam sibi rationem esse cogitaret coram
supremo Dei tribunali, cur ita tempus contingeret aucupio, pesca-
tu*

tu, venationibus & convivis, quod erat ponendum in officio Principis proprio, in audiendis afflictorum querelis, in dirimendis ac tollendis controversiis: intueretur animo suspiria miserorum civium, lacrymas viduarum & gemitus pupillorum, quos nemo tueretur, dum ipse à tractatione & administratione rerum vacaret. Illos enim qui ipsius officia exequerentur, habere rempub. quæstui, acceptisque muneribus dijudicare causas non ex æquo & bono, sed ex versuto jure: opprimere innocentes, & judicio damnandos sublevare. Hæc Sabinus.

§. VII. Superessent adhuc multa alia, memoratu non indigna, ut edoceret (1) quinam ante *Zollerenses* Comites, *Burggravi Norinbergenses* fuerint? Resp. *Marchiones* atque *Comites de Vochburg.* referunt antiqua monumenta. Sic *Godefridus Marchio Vochburgius Comes* dicitur de *Nürnberg*, & *Eberhardus* ex eadem domo. Sed quinam (2) ante *Vochburgenses*? Resp. *Norici* totius atque *Noribergæ* olim *Duces Domini*que erant *Welfi*; & *Duces* quidem antiquissimi hæreditarii; Falsò enim à quibusdam traditum, ante *Henricum Aucupem*, nullos jure hæreditario fuisse *Duces*. Contrariorum exemplorum habes segetem in *Vindiciis Billingian.* à *Meibomio* adornatis. Apud *Vrsperg. Hermann. Contr. Cranz.* aliosque passim & promiscuè nunc *Comites*, nunc *Duces* salutantur *Welfi*. Cùm autem de communi Principum consilio in *Comitiis Herbipolensibus* habito statueret *Frider. Barbaross.* animum *Leonis* expugnare, *Ducatu Bajoariæ* privavit ipsū. Hoc modo *Noriberga* pariter & *Ratisbona* Imperialem consecuta libertatem, *Cæsaris* favorem observanter coluit & *Comites Castrenses Burggravios* [quos non exposuit pro dignitate *Arumæus* alibi, informandus meliora à *Seldeno* *Titles of honor*, part. 2. c. 1. §. 49.] *Vicarios Imperatoris* ambabus manibus recepit. Nunc quâ ratione (3) ad *Inclytos Marchiones Brandenburgicos* (nec à *Brenno* aut *Brennone*, dem *Brenner* sed à *galea* derivandos. *Brenn* hiesß bey *denen alten teütschen* einen *Helm*; daß also *Brandenburg* eine *Helden* oder *gehelmte Burg* ist; sagt *Lutherus* c. II. de *Nom prop. Germ.*) *Noricus Burggraviatus Zollerensium* pervenerit? & ab initio ostensum est, & tot libri, totque tabulæ *Scriptorum plurimorum* produnt. (4) An & quò jure *Domini Franconiæ* existant? Resp
Franc.

QX 4533

Franciae Orientalis Dux quidem ante multa constitutus secula Episcopus *Herbipolitanus*; sed cum latissime per tot Episcopatus, Principatus, Comitatus, Baronatus, Nobiles immediatos & Imperiales Civitates celebres Franconia patescat, & Imperatoris nomine Burggravii Serenissimi Brandenburgenses exercent imperium civile in vicinis illis terris spaciosis; & praesentiori titulo *Othonis Merania Ducis* ultimi relicta isthic castra, oppida & amplum territorium ad Burggravium *Fridericum* devoluta sint; non temere *Hermannus* Marchio Brandenb. Dominum Franconiae se scripsit: apud *Cyriac. Spangenberg.* in *Chronic. Henneberg.* Ut id argumento sit, merito jus dirigendi *Circul. Francon.* & aliquid amplius in *Ostro-Franciam* praetendere Duces posse Serenissimos; de quibus interim filere, quam vel pauca dicere, vel ingenio humillimo deterere excelsa, praestat.

§. VIII. Plurimas gravissimasque causas habent sanguine Augusto conjunctissimae Familiae, *Habsburgica* & *Zollerano Brandenburgica*, cur immensas immortalis Deo gratias & debeant & solvant, quod per mille Annos etiam continuos, Regiam Imperatoriisque stirpe oriundae, inter tot Regnorum atque Rerum publicarum per Orbem universum habitabilem mutationes, ad invidiam populorum gentiumque; haecenus floruerint intemerata maiestate ac origine avita. Soli Numini hoc beneficium ferendum in acceptis, dum a *Caroli Magni* tempore legitimus successor haeres *Zolleranis Brandenburgicis* haecenus non defuit. Hoc nimirum verae pietatis & virtutis premium: hoc si custodiverint depositum coeleste, augurari liceat, non defuturum unquam semen atque fructum augustissimae CONSANGVINITATIS hujus ARBORI. *Vireat iccirco & perenni flore gaudeat, ad extremum Universi limitem ad AQUILAS, ad SCEPTRANatum, & fatali eminentiam huc usque conservatum Stemma, ad Imperii salutem, seculorum decus, & posteritatis admirationem!*



MC

1019



Q.K. 392, 14.

X 1803372

De
 Originibus
HABSPURGO
AUSTRIAE
 ET
HOHENL
LERANO-BI
DENBURGIC

Disferent in Publicis
 PRÆSES

GEORGIUS C
KIRCHMAJE

Prof. Publ.


& RESPONDENS

GEOR.G. CHRISTOPH.

de ZUANNA, Nob. Secretarius

Ad d. Junij hor. Lq. s. f.

VVittebergæ.



Literis JOHANNIS WILHELMI

